Quelle: http://manuscripta.at/?ID=460
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

remittatur ei. cum primo sit ei remissa peccata. Vel quod potest
dici. quod quamvis iste de quo loquimur iam iustus sit. quia non habet
voluntatem peccandi et de preteritis dolet. tamen non dum plene
iustificatus est. cum adhuc debito peccati teneatur. Cum enim
vulnus per confessionem cordis iam ostensum sit medico. res
tat suscipere eius medicinam. Sed quis nesciat medicamen
ta esse sacramenta. Unde qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum. Nec
sufficit medico vulnus confiteri. si contempnitur eius me
dicamentum. Itaque constat quod pro peccatis suis adhuc debet
medicinam sacramenti suscipere. Non dum enim a delicto peccati
est solutus. qua re nec a peccato plene iustificatus. cuius
debito adhuc tenetur. Sed post susceptionem sacramenti plene
mundatur. et si moreretur tunc. sine omni dilacione iret in
gloriam. Si opponitur quod nullum peccatum inpunitum relinquatur.
dicimus quod et ipsa contricio cordis morsque ipsa et erubescen
cia quam patitur dum baptizatur nudus non relinquunt pec
catum inpunitum. Sed si aliquis habens fidem cum dilectione velit bap
tizari. et non potest articulo necessitatis interveniente. credi
mus eum per ineffabilem misericordiam dei a predicto debito solvi. Quam
diu enim solvi potest tenetur nisi solvatur. Sed cum iam non potest. et tamen
vult. non imputat ei deus. Non enim alligavit deus sacramentis po
tenciam suam. Et quamvis per sacramenta salutem dare decreverit.
potest tamen et sine eis dare salutem. Quibus concessum sit baptizare.

Nunc dicendum est quibus concessum sit. vel licitum
baptizare. Ysidorus. Constat solis sacerdotibus esse traditum
baptizare. eiusque ministerium. nec ab ipsis diaconibus exple
ri est licitum. absque presbytero vel episcopo. non his procul absentibus. lan-